



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post
volumina Iuris Canonici, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

Quaranta, Stefano

Venetiis, 1619

Contractus ad caput saluum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10793

communicare similiter libere, & licite possit, & valeat Auctoritate Apostolica tenere presentium facultatem concedimus, & impartimus, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque, presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris Nouembrii 1606. Pontificatus nostri anno secundo, quibus omnibus Indulgentiis, & spiritualibus gratiis sigillatim descriptis confraternitatem ipsam nunc erectam eiusque contractus potiri, & gaudere posse decernimus, iuxta felic. rec. Clementis Papæ VIII. constitutionem sequentem.

Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam, quæcumque a Sede Apostolica ad promouendam Christi fidelium salutem, & reliqua vt supra fuerunt relata in principio huius verbi confraternitates.

CONTRACTVS AD CAPVT SALVVM.

PRÆTER Summissas in verbo vsura, sciendum est Sixtum V. edidisse Constitutionem super contractibus societatum ad caput saluum, vel alia pacta illicita continentibus, & quomodo in posterum iniri debeant, vt patet ex eius Constitutione publicata Romæ die 25. Octobris 1586. fol. 154. in Bullar. incip. Detestabilis auaritia in gluuies & infra.

Hac nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoscunque contractus, conventiones, & pactiones, post hac ineundos seu ineundas per quos, seu quas cauebitur personis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nonnisi tradentibus, vt etiam si fortuito casu quamlibet iacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, fors ipsa seu capitale semper saluum sit, & integrum a socio recipiente restituatur, siue vt de certa quantitate, vel summa in singulos annos, aut menses durante societate respondeatur: Statimusque huiusmodi contractus, conventiones, & pactiones vsurarios, & illicitos post hac censeri debere, atque in posterum non licere ijs, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradent de certo lucro, vt præfertur, percipiendo, inter se pacisci, & concordare, neque etiam siue ad certum, siue ad incertum lucrum conuenierint socios, qui ea recipient, ad sortem seu capitale saluum, & integrum, vbi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quouis pacto, aut promissione sibi obligare: Ac ne de cetero societates ineantur sub huiusmodi pactis, & conditionibus, que vsurariam prauitatem sapiunt, districte interdiciamus, & prohibemus. Sed potius cuncti nouerint societates huiusmodi, cum in posterum vnus pecuniam, animalia aut, alias res, & bona, alter vero operam, vel industriam confert, pure, sincere & bona fide, sicut decet, iustis, & æquis conditionibus, & pactis, secundum iuris dispositionem, ac sine vlla prorsus fraude palliatione, aut vsuraria prauitatis labe, aut suspitione ineundas, seu contrabendas esse, ita vt non ad certam summam aut quantitatem, ab omni periculo & damno, vt præfertur, immunitatem, lucri nomine persoluendam, neque ad capitales, si casu fortuito perit, restituendum, socius accipiens teneatur. Si vero finita societate ipsum capitale extat, ei qui illud in societatem contulerit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, at aliter inter ipsos contrahentes super eo legitime conuentum sit. Ac præterea iidem contrahentes fructus, expensas, & damna in commune conferant, & prout æquum & iustum fuerit, sibi communicent, atque diuidant. Decernentes se qui contractus, conventiones, & pactiones in futurum contra nostram huiusmodi pro-

prohibitionem de facto iniri fuerint, nullam ex eis, tanquam per hanc eandem constitutionem nostram damnatis, & reprobatis, etiam si iuramento aut in forma Camere Apostolicæ, vel alias quomodolibet roborati fuerint, obligationem civilem aut naturalem oriri, nullamque actionem realem, aut personalem, nec iudicis officium, neque aliud quodcumque ius cuiquam competere, neque quo ad sortem seu capitale integrum recuperandum, quod casu fortuito perierit, aut amissum erit, neque quo ad certas summas, & quantitates in singulos annos, aut menses, lacri socialis nomine promissas. Si qui vero in posterum sub prædictis conditionibus & pactis contrahere temere presumpserit, aut prætextu similium contractuum, conventionum, & pactuum societatis nomine initorum, qui huc usque durant, ad exactionem dictæ sortis, seu Capitalis, siue illius pretij, & valoris, postquam illud in toto vel in parte casu fortuito perierit, aut amissum sit, aut certa summa, vel quantitatis annua, qui mensura sibi promissa in futurum procedere ausi fuerint, eos uniuersos, & singulos in penas contra manifestos usurarios, & sceneratores a sacris, canonicis, & Concilijs generalibus latas, & promulgatas eo ipso incurrere, & contra illos uti manifestos usurarios, & sceneratores, via iuris, alijsque opportunis remedijs procedi posse, & debere: sicque omnibus, &c.

CONTRACTVS CENSVALIS.

PRÆTER summittas sciendum est, quod ultra extrauag. communes Martini V. & Calixti in tit. de e. n. p. & vendi. super annuorum censuum emptio ne, & venditione confirmatas per Paul. 5. fol. 411. in Bullatio habemus Constitutiones Nicolai v. Pij. v. & Greg. xij. Nicolai v. est tenoris sequenti in Bullatio fol. 71.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Sollicitudo Pastoralis officij nos nostra prouidentia pulsare non desinit, ut in-
demnitati, & tranquillitati prospero fidelis populi cura nostra calitus commissi, iuris
moderando rigorem per optima prouisionis remedia, quantum ex alio nobis permit-
titur, salubriter consulamus sane (sicut fide dignorum relatione audiuimus) in regno
Sicilia, ac certis alijs dominij, & terris carissimi filij nostri Alphonsi Arragonie, & v-
triusque Sicilia Regis Illustris, avaritia cecitas, & damnanda ambitionis im-
probitas, quorundam oculos adeo excæcauit, usurariaque prauitas illis in partibus
tantum excreuit, quod incolæ & habitantes partium illarum pecunijs indigentes
eas vix, aliter quam feneratorum opera (quasi mandatum scenus exercentium)
cõsequi possunt, & cū eas acceperint si in tempore percepta non restituant breui eo-
rum bona insatiabili usurarum voragine miserabiliter consumuntur, & quod in do-
minijs, & terris ipsius Regis ultra montes constitutis, videlicet in Regnis Arrago-
nie, Valentie, & Maioricarum ac principatu Cathalonie, & Comitatibus Rossilionis,
& Ceritanie, vniuersitates, & singulares persone tam ecclesiasticæ, quàm seculares
huiusmodi pecunijs indigentes, ut cū minori incommodo etiã habere possint, per ven-
ditiones annualium censualium, (que mortua nuncupantur) super domib. possessioni-
bus, & proprietatib. specialiter, vel etiã generaliter super omnibus bonis, redditu-
bus, & emolumentis, iurib. & rebus eorum (mediante tamen instrumento, gratia redi-
mendi onera eorum) sibi ut plurimum prospicere, & consulere consueuerunt. Quod

Con-
gruit
tit. de
empt.
& v-
ditio.